



Theophili Raynavdi Societatis Iesv Theologi, Opera Omnia

Tam hactenus inedita, quàm alias excusa, longo Authoris labore aucta & emendata : Accessit Tomvs Integer Complectens Indices Septemdecim in vniversum Opus, omnium quotquot prodierunt locupletissimos, Qvibus Absolvts Divinae Av Humanae Eruditionis Thesaurus Orbi literato aperitur ; Adiectus est ...

Raynaud, Théophile

Lugduni, 1665

Indicivm Avthorvm aliquod haud ignobilium, de Theophilo Raynavdo.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-79561](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-79561)



IVDICIVM AVTHORVM
aliquot haud ignobilium, de THEOPHILO
RAYNAUDO.

NON poterit Scriptoris cuius lucubrationes damus doctrina
ingeniumque innotescere clarius, quàm ex iis qua de ipso
Viribus aui gravissimi pronunciarunt. Ex omnino multis, paucos re-
presento.

PETRVS A S. IOSEPH Fulienſis, cuius ſingularem ſcientiam
ac crystallinam in ſcribendo pelluciditatem omnes merito ſuſpiciunt, in Ope-
re, cui titulus eſt, *Deſenſio S. Thomæ aduerſus recentiores qui prædeterminationem ei
falſo affingunt* (prodiit Lugduni apud Vincentium de Cœurſillys 1633.) ſic
ſcribit de Theophilo, diſput. 2. pag. 397. aliò ablegans diſcuſſionem Nouæ
Libertatis Gibieufianæ. [Circa hoc non hæreo, cum id abundè & efficaciter
præſtiterit Theophilus Raynaudus, Theologus doctiſſimus è Societate I E S V,
cuius propè ſtupendam tùm in humanis, tùm in diuinis eruditionem non pauca
nec mole exigua varij generis opera hætenùs in lucem edita, cumulatiffimè
teſtantur.]

PETRVS SAVNERIVS Ordinis S. Spiritus, in diſſertatione de
capite ſui Ordinis p. 1. cap. 7. §. 6. pag. 64. agens de S. Ioanne Benedicto. [In
eius vita quam diligenter inueſtigauit, & varia quâ ſupra modum abundat eru-
ditione, ad criticam lancem expendit, diſcuſſit, illuſtrauit R. P. Theophilus Ray-
naudus de Societate I E S V, &c.]

ANDREAS DE SAVSSAY Episcopus Tullenſis, in Apparatu ad
Martyrologium Gallicanum cap. 20. [Aureo Indiculo Lugdunensium Sancto-
rum memoriam feliciter abſterſit à pulvere, obliuionisquæ è ſpecu eruit Theo-
philus Raynaudus Societatis I E S V præſtantiſſimus Theologus, quem eo nitore
Eloquij & ſolertis indaginis peritiâ ac consummatæ eruditionis qua plenus eſt
copia, non illius vnica Diœceſis ſed vniuerſæ Galliæ Sanctos optarim illuſtraſſe,
elogiſquæ quibus Lugdunenses ſuos decorauit perornasse. Sane, vt multo nos
ſud ore exemiſſet, ſic tutelarium Galliæ decora longè elegantiori penicillo ex-
preſſiſſet, & Galliæ, ipſo ſplendore opificij, longè ampliora reddidiſſet auitæ
gloriæ inſignia. Gemmas ſanè illas innumerabiles quas non ſegni manu
collegimus, ac rudi opere ſtanneis vel cupreis veluti laminis indidimus,
eleganti ſanè quo pollet artificio, aureis vt coronis elegantiffimè inſeruiſ-
ſet. At tractatibus Theologicis, inſignis ille Scriptor ſublimem mentem appo-
ſuit.]

Idem in Panoplia Clericali pag. 496. Exciderat hæc ferè mihi Ioannis ab
Theoph. Raynaudi, *Chriſtus Deus Homo.* a originis

RAYNAUDI

Tomus I.
De Christo
et
Tomus II.
De Attributis
Christi
A VII

IVDICIVM

originis loco cognominati Ioannis de Gerson, illustre nomen, non eius recordationis despectu, sed propriae meae memoriae lapsu, siquidem in huius saeculi limine, hoc Ecclesiae praecipuum sua aetate sydus collocandum fuerat; cuius sole fulgentiora scripta ut non recensione noua, sic nec commendatione nostra opus habent. Inuenit tantus vir in Theophilo Raynaudo, Societatis Iesu Theologo perillustre, dignum sui laudatorem; felix vel hoc nomine, cui laudari contigit, à viro tot nominibus laudabili, totque eruditorum, ac piorum virorum oribus, calamisque laudatissimo, sed neutiquam indigo illorum praconiis, quae meritorum gloria in exaratis à se eximia doctrinae monumentis plurimum superauit.]

Illustriss. D. IOSEPH. MARIA Suarez Ep. Vasion. vocat eum virum inexhaustae lectionis, alium Calchenterum, ob laborem studiorum.

NICOLAUS LANCICIUS Opusc. 4. quod est de Passione Domini cap. 28. [Ita P. Theophilus, in nunquam satis laudato opere de Virtutibus & Vitiis.] & ibid. cap. 12. [Theophilus Raynaudus insignis author in omnibus quos ab eo editos video libris.]

IOANNES RHO in depulsione ineptiarum Constantini Caietani pag. 34. vocat Theophilum [Testem clarissimum, cuius omni exceptione maius sit testimonium, quod & incredibili quadam eruditione celebre sacculo nomen sit, & in Societate ab adolescentia in diem hanc, clarissimam semper fama versatus.]

IOANNES GRILLOTIVS Lib. cui titulus, est *Lugdunum lue affectum* cap. 10. agens de Martyribus charitatis [eos egregie laudibus exornauit, & perennibus scriptorum suorum monumentis persecutus est R. P. Theophilus Raynaudus. Itaque syncerum parietem non incrustabo; cum pro ea qua plurimum valet, vigetque robusta eloquentia, omnibus absoluta suis numeris praconia posuerit.]

ILLEFONSUS DE FLORES. In praefatione operis de Inclyto martyrii agone. [Theophilus Raynaudus spectatae eruditionis author, in suo aureo gemmeoque libello de martyrio, & num. 44. [Theophilus Raynaudus vir omnigenae eruditionis, in libello aureo de Martyrio] quae repetit num. 1267. & saepe eodem volumine, quo passim librum Theophili praedictum denominat, *Librum planè aureum & gemmeum.*

BONIFACIUS CONSTANTINVS. In Eucharistia coronata, tract. 3. cap. 1. [Theophilus Raynaudus scripsit de affectibus methodo exquisita cum vbertate florum (ut sic dicam cum Basilio Seleucia) luminosorum solidae doctrinae, & obseruationibus decerptis ex antiquis authoribus; adeò aptè ad negotium quod versat facientibus, ut videantur ad illud inoculandum factae. Lubens volens profiteor me eius laboribus obnoxium, quippe qui ex eis insigniter profecerim.]

PETRVS MIRAILLETVS in dissertatione Polemica, subiuncta *Amenitatibus sacris* pag. 248. adeò splendide exornat Theophilum ut nihil addi possit. Vocat facem excellentium ingeniorum, gloriam Oratorum, Musarum delicias, anchoram inter sonoras tempestates, factum ad monstra quaeque in Ecclesiam insurgentia potenti stylo debellanda *scriptorem aeternaturum*, leges apud eum cetera.

PETRVS IOFFREDVS in opere cui titulus est *Nicea Civitas*, in proemio cap. 18. [Theophilus Raynaudus ex Societate Iesv, teste de cuius omnimoda eruditione plura dicenda suppeterent, nisi maximo numero edita

AVTHORVM.

edita doctissima volumina, edendaque ipsius nomen, iamdiu venturis sæculi immortalitate donassent.] Sæpè sapius reliquo Opere eiusdem meminit cum elogio.

IOANNES BONA Abbas generalis Ordinis Sancti Bernardi, in notitia authorum præfixa operi de *Harmoniâ psallentis Ecclesiæ* [Theophilus Raynaudus omni doctrina & eruditione refertus, multitudine librorum quos scripsit omnibus notus.]

PETRVS COVRSIER in opere cui titulus est *Maria negotium omnium sæculorum* anno 1639. [Theophilus Raynaudus vir præstanti ingenio, acri iudicio, promptâ facundiâ, & omni scientiarum genere excellens.]

GABRIEL DE ENHAO disputatione 13. de Eucharistia sect. 3. num. 57. cum retulisset inconstantes laudes Theophili per Thomam Hurtadum bucciferreum ait. [Grauitè lædit absolutissimum Theologum Raynaudum, cuius quot hætenus prodierunt in lucem Opera (& sunt quidem complura) imò quot paginæ in eis continentur, tot testimonia & monumenta habent summæ diligentia adhibitæ legendis S. Theologiæ Doctoribus, & fœlicissimi magnique cuiusdam captûs in eis intelligendis. Vnum *Theologiæ Naturalis* Opus, vel de *Disciplina Morali*, vel de *Virtutibus & vitiis* sufficeret (me iudice) ut Raynaudus scriberetur in albo Theologorum, qui nostra ætate præcelluerunt ingenij acumine, iudicij maturitate, antiquitatis sacræ & profanæ notitiâ. Taceo de aliis eius lucubrationibus, quæ omnium teruntur manibus, eximia cum Authoris commendatione.]

IOANNES ANTONIVS VELASQVES lib. 1. de Conceptione dissert. 1. annot. 1. [Oportet ponere quod de homine peccato originali obnoxio dicunt nobiles Autores, signatè verò Pater Theophilus Raynaudus, quem ego sapientiæ compendium appellare soleo. Rursus ibidem lib. 4. dissert. 9. annot. 3. num. 8. [Theophilus Raynaudus præstantissimus Theologus omni scientiarum genere excellens, & nitore eloquij ac consummata eruditionis plenus, in aureo & numquam satis laudato *Nomenclatore Marianæ*.]

BERNARDVS STVBROCHIVS in notas *Vuilemi Vuendrochij* notâ 1. ad Epistolam 9. cum retulisset quamdam Theophili sugillationem per illum mendaciloquum atque effrontem nugonem, subdit [Dum Theophilum carpis, leonem dormientem excitat. Nihil vobis hætenus formidabilius fuit, quàm ne hic Autor omni literaturæ genere præditus, in Theologicis acutus, profundus, solidus, in doctrina Patrum versatissimus, utraque eruditione sacra & profana ad stuporem instructissimus, vno verbo, qui maiore facilitate libros scribat, quàm alter exscribat; ne hic, inquam, stylum aduersum vos exereret. Egregiè præluserat contra Gibium Iansenij prodromum; fœliciter cœperat contra errorem de duplici Capite: exin aliis, ut fors tulit, dissertationibus omnino distractus, vobis pepercit; sed nondum receptui cecinit; fat citò, si fat benè. Tibi saltem imputa, si forte aliquando illius manu vapules; ne dubita, probè tibi fursures excutiet, ac res solida strigili defricabit.] Non pepercit sanè Iansenistis Theophilus. Testes aliæ lucubrationes eius, ut ΑΥΤΟΣΕΦΑ, *Theologica Paulina inedita*, & *Arnaldus Virbius*, quem librum sub pluteo delitescere, voluntas meticulosioris hominis tulit.

Theoph. Raynaudi, Christus Deus Homo.

RAYNAUDI

Tomus I.
De Christo
et
Tomus II.
De Attributis
Christi
X. VI.
3

I V D I C I V M

IOANNES COLVMBI in nuncupatione tomi 1. in Scripturam ad Archiepiscopos & Episcopos Gallicanæ Ecclesiæ [Theophilus Raynaudus non minor Antiquis Theologis, & recentioribus scriptorum multitudine librorum ac eruditionis vbertate superior, charissimum mihi caput, meum animum penitus inflexit, vna cum *Honorato Fabry*, ingenij vi doctrinæque copiâ inclyto.

HIPPOLYTUS MARACCIUS in Bibliotheca Mariana, [Theophilus Raynaudus, Vir (Philippi Alegambe in sua Bibliotheca elogio) præstanti ingenio, acri iudicio, promptâ facundiâ, & in omni scientiarum genere excellens; quem Andreas Saussayus, præstantissimum Theologum, nitore eloquij & consummatæ eruditionis copiâ plenum non inaniter appellavit, inter multa & præclara opera edidit, &c. Viuit Reipublicæ litterariæ admodum utilis.

AVBERTUS MIRÆVS eadem ferè de Theophilo Raynaudo habet cap. 233. lib. de Scriptoribus sæculi nostri.

IACOBVS LOBETIVS lib. 1. de Christ. Fortit. cap. 2. §. 6. agens de Martyrio Charitatis, sic habet [Hoc argumentum, vtralia pleraque, doctè, fusè, piè tractavit Theophilus Raynaudus Societatis nostræ Theologus, Vir variorum eruditionis.]

IOSEPHVS GIBALINVS in Tractatione de vsura l. 6. c. 6. confect. 3. præfatus se consuluisse tunc Romæ agentem Theophilum Raynaudum, & per eum Romanos Theologos de iustitia triplicis contractus, cuius est vsus in emporio Lugdunensi, ab improvidis Concionatoribus sædè lacerati tanquam vsura sordentis, ait de eo. [Ad R. P. Theophilum Raynaudum, cuius insignem eruditionem vulgati supra Septuaginta Tractatus de variis implicatis & non vulgaribus materiis, celebrem toti orbi reddidere, Romæ tunc agentem scripsi; rogavique ut Romanorum Theologorum sensum hac in causa exploraret, num à veterum, quorum consultationes Valentia retulerat, mente, discederent; suamque ipsemet sententiam quæ mihi instar omnium futura foret, explicaret; & numquid in immensa illa & stupenda autorum omnium cuiusque generis, quam in eo eruditi omnes demirantur, lectione quicquam ipsi occurrisset, quod aduersariis favere posset, &c. Præstitit pro sua humanitate quod rogabatur amantissimus Pater. Placet verò eruditam tanti Viri Epistolam quæ suam mentem aperit, & paucis, quæ nos fusiùs digessimus, nostram, communemque sententiam demonstrat, pluribus testimoniis, rationibus, atque varia eruditione suo more addensatis, hoc loco describere, ut hac saltem parte, nostram inopiam tam diuitem Thesaurum locupletemus.] Laudat eundem infinitis locis, nunquam sine elogio.

CHRISTOPHORVS PLANCHETTE author Auctarij ad Chronologiam Iacobi Gaultierij, sæculo 17. in serie Scriptorum illustrium [Theophilus Raynaudus scripsit quantum satis ad complendam modicam Bibliothecam, eius libri sunt eruditione referti.]

FRATER MATTHÆVS A S. IOANNE, Ord. Carmelitarum, lib. de Scapulari cap. 5. [Theophilus Raynaudus, author clarus & illustris operum multitudine copiosa, qui & soliditate & diuersitate doctrinæ in tot eius scriptis micante, inter huius æui Doctiores & illustriores scriptores est annumerandus. Eum ordo noster benè de se meritum perpetuò profitebitur: quod solius studio pietatis ac veritatis adductus, in eam curam incubuerit. D. P. E

AVTHORVM.

D. PETRVS TONDVTVS A S. LODEGARIO, vulgò S. LÉ-
GÈR, tract. de Præuentione iudiciali, parte 2. cap. 40. num. 27. [Quæcun-
que autem de Citationem diximus, eodem modo procedunt in Monitorio. (Non
loquor de illo Monitorio quod iudex Ecclesiasticus concedit ad obtinendam
depositionem contra testes, aut alios, pro rebus occultis; de cuius materia eru-
ditissimum nuper Tractatum edidit admodum R. P. Theophilus Raynaudus
Societatis I. E. S. V. Theologus, Vir multiscius & irreprehensibilis vitæ, amicus
meus singularis,) sed de eo per quod iudex monet reum vt aliquid soluat, fa-
ciat, vel à faciendo desistat, de quo Mandos &c.]

IOANNES BAPTISTA GVESNAYVS in Annalibus Massili-
ensibus ad annum Christi 21. [Theophilus Raynaudus Scriptorum gemma, in-
pererudita (vt solet) lucubratione de B. Ambrosij natali in Gallia solo, diser-
te, copiosèque hoc dicit.] Et parte altera Auctarij historici scholio 9. [Theo-
philus Raynaudus Reipublicæ literariæ singulare decus & ornamentum, Prin-
ceps eruditionis, Vir vniuersè non domesticis tantum sed etiam externis à qui-
bus passim inuisitur, aut per literas consulitur, & ob virtutem, & ob eximiam
litterarum peritiam omnibus notus, ac in pretio habitus. Omne disciplinarum
genus diligentissimè excoluit. Ad Philosophicas ac Theologicas disciplinas,
quas per plures annos Lugduni, Auenione, Romæ professus est, eâ doctrinæ
fama, vt nullus omnium crederetur esse qui eum exæquaret, raram liberalium
artium & historiæ tam Ecclesiasticæ quàm Prophanæ cognitionem adiunxit.
Est enim illi par ingenium, iudicium peracutum ac prudens, memoria ad admi-
rationem: vt in argumentis excogitandis siue de nouo cudendis, aut expolien-
dis & exornandis, ad omnem rem, de qua vel etiam ex tempore loquitur,
semper aptas sententias, semper concinnas, atque cum illo natas habere vi-
deatur. Innocentius X. conspectu prius habito tot actantium numero libro-
rum quos iam ediderat, præsentem aliquando, scientiæ nomine, cohonestauit
elogio laudis plenissimo. Miraculo autem proximum est, cum alios scri-
ptores in pangendis suis Sophocleis, tanquam in pingenda, fingendâve sensim
ac pederent imagine, moram aliquam temporis ac studiorum sustentatio-
nem habere, tardèque progredi necesse sit: ipsum vna breuique velut ingenij
parturitione, fœtus miræ pulchritudinis numerosamque Voluminum sobo-
lem dare hæcenus potuisse in publicum.] &c. quæ de eius decoribus latè ibidem
proferuntur.

IOANNES FERRANDVS lib. 1. Disp. Reliq. cap. 12. §. 1. [Theo-
philus Raynaudus plurimæ lectionis ac reconditæ litteraturæ vir.] Similia sæpè
iterat reliquo opere.

PHILIPPVS ALEGAMBE in Bibliotheca Societatis I. E. S. V. [Theo-
philus Raynaudus Vir præstanti ingenio, acri iudicio, prompta facundia, &
omniscientiarum genere excellens. Andreas Saussayus cap. 20. apparatus ad
Martyrologium Gallicanum, eum vocat præstantissimum Theologum, nitore
eloquij, & consummatæ eruditionis copia plenum.] Nondum huic authori
Opera omnia Theophili innotuerant.

IOANNES BALSETVS in defensione Missæ, lib. 2. cap. 11. sic
habet [R. P. Theophilus Raynaudus vnus è maioribus, & doctioribus Theo-
logis, qui nunc in Ecclesia fulgent laude sapientiæ. &c.]

DANIEL A VIRGINE MARIA in Dissertatione Apologetica
de Reuelatione facta S. Petro Thomæ [Theophilus Raynaudus Author, si quis
alius,

RAYNAUDUS

Tomus I.
De Christo
et
Tomus II.
De Attributis
Christi
XVII
3

I V D I C I V M

alius, tersus, eruditus, nec minus varius, atque elegantiarum huius æui flos, Ordinem Carmeliticum totum sic sibi obstrinxit, ut in Capitulo Generali, anno 1654. Romæ celebrato, singulariter omnibus Provincialibus, caterisque Patri- bus Ordinis fuerit commendatus, & ad specialem, participationem bonorum spiritualium totius Ordinis solemni illo confesso receptus. Insignis enim eius in- genij amoenitas defensionem & illustrationem sacri Partheno-Carmelitici Sca- pularis magnoperè redundavit.]

ILLVSTRISSIMVS FRANCISCVS AVGVSTINVS DELLA CHIESA, Episcopus Salutiensis, in Catalogo scriptorum Nicienfium. [Theophilus Ray- naudus Cespitellensis, Iesuita summus Theologus edidit Lugduni Opera San- cti Leonis Papæ, Sancti Maximi Episcopi Taurinensis, Valeriani Episcopi Cemeliensis, & Amedei Lausanensis cum variis eruditis annotationibus, plu- raque opera in lucem edidit.] *Tum eorum texii Catalogum.*

P. ANTONIVS DE MACEDO Soc. Iesv, Pœnitentiarius Apostolicus in Basilica Principis Apostolorum de Vrbe. In Vita S. Damasi. [Theophilus Raynaudus, nobilis hac ætate Societatis nostræ scriptor.]

D. PETRVS DE MARCA Archiepiscopus Parisiensis. In Tractatu de Primatu Lugdunensi &c. Primatibus agens de Martyrio S. Irenæi. [Qua de re luculenter scripsit vir eruditus Theophilus Raynaudus in Indiculo Martyrum Lugdunensium.]

P. PHILIPPVS DE MARINIS Libro cui Titulus *Metodo della Dottrina che i P. P. della Compagnia di Gesù insegnano nelle Missioni della Cina*, agens contra Thom. Hurtado, & Ioann. Sinnich. [Chi desidera più, legga l'Eruditissimo Apo- logetico del nostro Padre Teofilo Raynaudo, il quale spinto da vn santo zelo di difendere l'innocenza della vita, e santità della Dottrina de nostri Padri Missionanti, da tanti auuersarij combatuta, pigliò per spada la penna, e con le parole che scrisse di eterna verità, la sostenne in piedi come la trouò, a con- fusione di chi la credeua vinta i caduta à terra.]

DIANA Tractatu de Consecratione Episcoporum pag. 80. resolut. 72. Sed quam sit illicita multiplicatio beneficiorum in eadem persona cognoscat LECTOR, ex amicissimo, & nunquam satis laudato Patre Theophilo Ray- naudo in sua eruditissima lucubratione de bonis Ecclesiæ, malè, siue captatis, siue dispensatis l. 2. s. 2. c. 7. per totum: vbi doctè, ut semper solet, firmat mul- tiplicationem beneficiorum quorumnam in eadem persona, &c.

In eiusdem Epitome concinnata ab ANTONIO COTTONIO, aliàs AVSONIO NOCTINOCTIO, verbo *Beneficium*, sic habetur [nominatim in Theologos nostri sæculi lumen R. P. Theophilus Raynaudus.]

IOANNES BAPTISTA DE LEZANA, iteratis vi- cibus, sic eum laudat. [Præcæteris autem R. P. Theophilus Raynaudus, adèd insignis Autor, ut eruditione & doctrina vix parem hoc sæculum nouerit, integro Opere, cui titulus est, SCAPVLARE STOCHIANVM, enu- cleatè & luculenter corroborat (nempe S. Scapulare à Beatiss. VIRG. MARIA traditum S. Simoni, eiusque Priuilegia) & calamo, ut solet, politissimo, no- uum hunc scriptorem (Ioannem Launoyum) redarguit. Ita tom. 4. Annal. ad annum Christi 1251. num. 12. & num. 21. atque ad annum 1322. num. 13. & 14. & alibi.]

CLAVDIVS CLEMENS libro 2. Musæi cap. 12 [Ethicam Philosophiam, diligentissimè (ut solet) ornauit luculentis duobus Tomis Magister in Theo- logia

AVTHORVM.

logia meus *P. Theoph. Raynaudus*, cuius commentarij, si vel soli sint in hoc armario, abundè refertum erit & instructum; eruntque tibi paratissimum promtuarium, ubi miro iudicio digesta reperies quæcunque vel sacri vel profani Scriptores intra cognationis naturalis limites, de virtut. & vit. subtilius & sententiosius disputarunt, *P. I. de Pineda* maximi iudicij virum, atque Scriptorem hac ætate insignem, utrumque illum *Raynaudi* Tomum audiui laudare magnificis verbis; ac nominatim de secundo qui est de Virtutibus & Vitiis, ob eximiam eruditionem qua refertus est, dicere, esse pulmentum orizæ, pulvisculis ex saccharo, & cinnamomo perspersum.]

R. P. LEO CARMEL. RHEDON. in Epist. select. Epistolam ad ipsum *Theophilum* sic claudit. [Siue naturalem Theologiam apparas, siue Morum Disciplinam exornas, siue eiusmodi tractatus plures elucubras; id facis semper, ut tibi optima eorum, ut omnia nimirum digna sint Deo quem colimus, Religionem quam profitemur, Pietate demum cui omnis eruditio debet ancillari. Hoc ut orbi præstes diù, etiam atque etiam oro. Vale. Lutet. 1648.]

IOAN. BOLLANDVS, ET GODEFRID. HENSCHENIVS in Actis SS. quo vix maius opus habitura est Ecclesia. [Theophilus Raynaudus Indiculo SS. Lugd. inseruit; sed stylo passim comptiore, nonnullisque, ex SS. PP. adjunctis, quibus Acta illustrat, & lectorem sacris monitis instituit.] Vide etiam quid de illo passim, tomis aliis, quæ non vidimus, inseruerint. Nec omittendus *Honorat. Niquet*. cuius liber *Marian*. nusquam laude *Theophili* vacat.

ANTON. DE LA POTERIE, PETRO GASSENDO à Commentariis Accuratori Editionis Hagiologij Lugdunensis, in Præfatione. [Debes plurimum Typographiæ nostræ, BENIGNE LECTOR, quod viri summi *Theophili Raynaudi* Opera, literatorum votis hæcenus expetita, ut ab interitu vindicaret, in vnum corpus colligendi, vulgandique consilium, & curam suscepit. Non est, quod Autorem orbe toto πολυμαθής, ante supremam diem tibi pluribus commendem, quem *Innocentius Decimus*, multis audientibus pronunciauit, peculiari numinis intuitu, ad scribendum appulisse animum, *Alexander verò Septimus* sibi à studiis allegere aliquando voluisse professus est. Eruditionis certè non vulgaris aut protrita; sed reconditiore vim infinitam miraberis in homine, qui in Musis severioribus totus fuit; Doctrinæ soliditatem ubique spectabis, & constantem, erga fauentes Religioni, & receptas à sapientioribus opiniones propensionem. Aduersarios nullos expertus est, nisi quorum sensus abhorruit à Pietate, aut ab iis placitis, quæ Societati, cui nomen admodum adolescens dedit, probantur maxime. Sacras Religioforum familias ita scriptis suis demeruit, ut à Cassinensibus, Cisterciensibus, Cartusianis, Antonianis, Carmelitis vtrisque Fontebraldensibus, Franciscanis, Minimis, P. P. Doctrinæ Christianæ, literas elogiorum & amoris plenas acceperit, in pignus ac monumentum grati animi, quibus in partem bonorum operum Ordinis totius veniret. Habent etiam quò illum ament. PP. Prædicatores, de iis quæ passim ad cæterus illius gloriam, pro SS. *Dominico*, *Thoma Aquinate*, *Catharina Senensi* *Virgine*, &c. sincero erga cœlites illos studio & affectu deduxit. Opusculorum magnam partem, tametsi πολυμάχας παροτρύνωνs ἀνέπτυξεν, è re nata ac ferè ex tempore profudit. Quoties quæsitis per Epistolam, responsi loco librum reposuit? Sanè *Tractatum de Monitoriis Ecclesiasticis*, elicit *αὐτοαρχαίως* *Francisci de Ponat*, sapientissimi in Gratianopolitano Senatu Patris conscripti, mota de istiusmodi argumento, quod tum in curia agitabatur, dubitatio. Fuit cum

RAYNAUDI

Tomus I.
De Christo
et
Tomus II.
De Attributis
Christi
X. VI.
3

IVDICIVM

cum aliquando nonneminem, Sacerdotis nescio cuius, inter Faciendum, breuitatem minus probantem, exciperet alius litis longitudinem, morasque aduocatorum incusans. Atqui ego, inquit, *longitudinis & breuitatis* commoda in rebus, sic inter se contendere instituam, ut aestimare liceat, vtra sit iustior querelarum an laudis materies: ita, breui *De Breuitate* Librum emisit. *Clementis Scoti*, qui in Societatem *I. E. S. V.* suam olim parentem, stylum acuerat, monitus à Patre Generali, nam Romæ per id tempus habebat, ut hominis petulantiam castigaret; ante absolutam hebdomadam, iusto ac vehementi scripto, ita rationibus autoritatibusque fregit ac retudit, ut mirari satis non posset. *Vincentius Caraffa* confectum ac descriptum opus, cui per summa capita digerendo vix spatium fuisset; atque ex eo tempore cessauit nunquam, tanti nominis ac virtutum præpositus, vbique se *Theophili Doctrinæ præconem*, ingenui candoris amantem profiteri. Færmè par aliis operibus scribendi occasio fuit. Quare quòd Argumento aliquo illustri ac maioris, ut aiunt, abollæ, non quæsito, obscura quædam ac minutiora sectatus aliquando sit, non est quòd iure quis succenseat, quando in tenui efflorescit tenuis non gloria; (quamquam *Moralis Disciplina, Christus, & eius Attributa, aut Heteroclitorum Volumen geminum*, &c. annumeranda nemo putet;) quæ verò in vniuersam Philosophiam, ac Theologiam non ieiuñe, sed cum amana eruditione commentatus erat, adduci nunquam potuit ut euulgaret, quòd cramben recoctam saperet materies tot scriptorum stylo vexata.

In Præfatione tertiæ Editionis Heptadis Patrum cum notis *Theophili Raynaudi*, hæc habentur. [Cæterum nete fugiat cui acceptum referre debeas insigne hocce beneficium. Collegerat eam primùm ante annos færmè triginta, atque etiam apologiis ac notis postmodum illustrauerat *R. P. THEOPHILVS RAYNAVDVS* vir sanè publicæ felicitati natus. Quantus Theologus! quam rerum omnium ac librorum cognitione præclarus! quot doctissimorum operum parens, quæ si corpus in vnum (quod commune est eruditorum omnium votum) redacta prodeant in lucem, plurium maioris formæ voluminum molem facillè sint superatura. Quoniam verò haud promptum est definire quid in tanto Viro potissimum emineat, an candor animi cum singulari morum suauitate coniunctus, an inaudita prodigiòque similis doctrina, quæ fuit eius singularis in me humanitas, cum inaudiisset typis nostris recudendum quod modò absoluimus Patrum volumen, vltro ea quæ operi nostro deerant suo labore suffecit: sponderatque de iis quæ huic editioni accesserunt, Lectorem in huius libri vestibulo certiorum facturum. Atenim cum adhuc sudante prælo vix Româ reducem eò reuocarint grauissima totius Societatis suæ negotia; quod ille præstiturus erat luculentius, pro meo modulo hîc te monitum volui.]

Etiam ab hoste fas esse subsidium petere firmandæ veritati, admonuit sapienter *Nouatius*. Itaque non refugiam apponere testimonium hominis Hæretici, cui nomen *Chappuzoto*. Is vernacula scriptione, quam inscripsit *Lyon en son Lustre* p. 2. c. 1. §. 5. sic loquitur; quod, ne quid immutasse videar, vernaculè exhibeo. [Le plus fameux Ecrivain de la docte Societé, le *R. P. Theophile Raynaud*, qui a discouru dans ses Liures depuis le Cedre, iusqu'à l'Hyssope, & semble auoir herité de ce premier genie de *Salomon*, à qui rien n'estoit caché de ce qui peut tomber sous le sens humain, & dont les æuvres, soit de Sçauoir, soit de Piété, sont & si nombreuses &c.]

AUTHORVM.

fautes, qu'il s'en pouvoit faire une Bibliothèque raisonnable, & tres-assortie.]
Hactenus ille : de quo dixerit quispiam quod de Porphyrio verum semel pro-
locuto Theodoretus lib. 3. contra Gracos. De comedente exiuit cibus.

LE SIEVR PIERRE LOVRET de Beauuais Docteur en Medecine,
dans son Histoire de Montpellier. [C'est-ce que dit de S. Roch le R. P. THEOPHILE
RAYNAUD de la Compagnie de IESVS, à qui la Theologie doit beaucoup,
par les Tomes de IESVS-CHRIST, & de ses Attributs, qui s'impriment à present
la Philosophie à raison des Volumes de la Morale, des Vertus, & de la Theologie
Naturelle: la Philologie par les lumieres qu'il donne à l'Antiquité, dans pres-
que tous ses Escrits : Mais sur tout, la partie de l'Histoire Ecclesiastique qui trait-
te des Saints. Il faut aduouer que ie n'ay pû assez admirer la solidité de cét
Esprit, dont l'Erudition est si vaste, qu'ayant, ce semble, consommé son aage
dans les Sciences Speculatiues, il a fait paroître vn genie singulier pour dé-
brouiller les difficultés Chronologiques & Historiques, dans les deux Volu-
mes des Saints, dont l'un est intitulé *Hagiologium Lugdunense*, & l'autre *Hagio-
logium Exoticum*. Je tiens à vne faueur singuliere d'auoir esté honoré de son
amitié, & d'auoir eu soin de l'Edition d'un de ses Tomes, durant mon séjour
à Lyon.

Messire CLAUDE LE LABOUREVR, ancien Preuôt de l'Isle Barbe, en son
Recueil Historique des choses plus memorables de l'Isle Barbe. [Je tiens cette Epistre du
R. P. Theophile Iesuite, qui est mort plein d'ans & de merites, le dernier
d'Octobre 1663.]

Hec Elogia à Viris toto orbe celeberrimis Theophilo tributa, ed maioris sunt autori-
tatis, quod ipso adhuc viuente, ac nesciente conscripta sunt, passimque extant in Libris editis à
varis Authoribus, quibus vna Theophili merita laudes illas expresserunt, haud scio an
maiores quam que ulli vnquam Scriptori datae sint. Literas Eruditorum ad ipsum, ac Te-
simonia manuscripta, quae probant quanto in pretio fuerit apud Societatis IESV Sapientis-
simos homines, & Magnates externos, consilio omisimus, ne in immensum haec Prolegome-
na excrecerent.

Theophil. Raynaudi, Christus Deus Homo.

IN

RAYNAUDI

Tomus I.
De Christo
et

Tomus II.
De Attributis
Christi
XVII